

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica XV. post trinitatis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

dem pœnam & ignominiam inveniet, Prov. 6. v. 3. quando superveniet eis calamitas eorum, & dolores dividet furoris sui Dominus. Tum erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut quisquilia, quam turbo dispergit, Job. 1. v. 17. 18 Omnes illi qui opera caritatis non exercuerunt, sed ingrati fuerunt & membra Christi non adjuverunt, tum

audient: Esurivi, & non dedistis mihi manducare. Sitivi & non dedistis mihi potum, Matth. 25. v. 41. & seqq.

Avertat id à nobis benignissimum Numen, per Dominum nostrum

Jesum Christum Amen.

* * *

Dominica XV. post Trinitatis.

Evangelium Matth. 6. v. 24. — 34.

EXORDIUM.

Cum Philistæi in prælio cum Israelitis commisso, arcam Dei cepissent, asportaverunt eam in Azotum, & intulerunt eam in templum Dagon: & statuerunt eum juxta Dagon. *Verum Dagon & arca Dei non convenit inter se.* Cumque surrexissent diluculo Azotii altera die, ecce, Dagon jacebat pronus in terra, ante arcam Domini, & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. Rursumque mane die altera confurgentes, invenerunt Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen: porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo. *1. Sam. 5. 1. seqq.*

Hac in re Philistæi imago sunt omnium hypocritarum, & Pseudo-Christianorum, qui arcam Dei & idolum Dagon conjungunt, h. e. lucem & tenebras, Christum & Belial, Deum & Mammona conferentes, utrique servire volunt. Hoc fieri nunquam potest: neque enim dimidium modo cultum Deus sibi vendicat: sed *ex toto corde* ipsi serviendum est, Deuteronom. 6. 5. in justitia & sanctitate coram ipso, Luc. 1. 75.

Inveniuntur homines qui actiones suas mire exornant. Superbiam venditant pro Magnanimitate; *πονηρ, ἢ μωσὺν*, pro discendi cupiditate; Stultitiam pro simplicitate: luxuriam in ædificiis & vestibus, pro munditie & decore; prodigalitem pro liberalitate; avaritiam pro parsimonia: vindictæ cupiditatem pro severitate &c. Sic semper Dagon & arca Dei conjunguntur: sed die novissimo videbimus, quid sit inter justum & impium: & inter servientem Deo, & non servientem ei, Mal. 3. v. ult. Disperdet enim Deus omnia labia dolosa, Psal. 12. v. 4. & consilia cordium manifestabit, 1. Cor. 4. v. 5. Id cogitandum est, ut ita immaculatos nos custodiamus ab hoc seculo, Jac. 1. v. ult. quia amicitia hujus mundi inimicitia est Dei, quicumque ergo voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituetur. Jac. 4. 4. *9. 2. Cor. 6. v. 14. seqq.*

Hac de re Christus etiam disserit in prælecto Evangelio, inquit: Nemo potest duobus Dominis servire: Aut enim unum odio habebis, & alterum diliget:

Uu

aut

aut uni adhærebit, & alterum contemnet.
Non potestis Deo servire & Mammonæ.

Nos absq; ulteriori præloquio ad ipsum
Evangelium nos conferemus, tractaturi ex
eodem:

I. Ἀνθρώπων λόγια, sive *notitiam nostri.*

II. Χριστοῦ ἰστορίαν, sive *notitiam Christi.*

J. J.

Exegetis.

DE Messia inter alia dicitur, quod gra-
tia diffusa sit in labiis ejus, Psal. 45. v. 3.
Quo ipso Regius Psaltes respicit Ministerium
ejus, quod prædicando peregit, eoque in-
nuit, tam præstantem Concionatorem fo-
re Messiam, ut homines concionibus ejus
audiendis non satiari possint. Quod &
opere ipso comprobavit, cum Ministerium
suum inchoavit, ubi homines obstupue-
runt super doctrina ejus; erat enim do-
cens eos, sicut autoritatem habens, & non
sicut scribæ & Pharisei, Matth. 7. v. ult. Joh.
7. v. 46.

In hodierno Evangelio præclarum ejus-
dem exemplum habemus, ubi cælestis ille
Orator gratiam labiorum suorum diffun-
dit, & de nocentissima ventris cura Aposto-
los suos & nos omnes adeo dehortatur, ut
quilibet hinc colligere possit, quod sit O-
rator eruditæ linguæ, cui neque Cicero,
neque Demosthenes pares fuerint, neque
palinam præripere possint, Esa. 50. v. 4.

Nos Ἀνθρώπων λόγια sive *notitiam nostri*
hinc discemus, si spectemus:

I. *Neutralitatis fugam*, sunt enim qui
cum Israelitis claudicant in duas partes, 1.
Reg. 18. v. 21. putantes, Dei & Mammonis
servitium simul consistere posse, sicuti de
gentilibus quibusdam legitur, qui Deum

& diabolum simul coluerunt: interrogati
cur id facerent, responderunt: *Deum bo-
num colimus, ut nobis beneficiat, Deum ma-
lum, ne nobis malefaciat.* Hac de re dehorta-
tur nos Christus, sub initium Evangelii,
inquiens: Nemo potest duobus dominis
servire.

Intelligendum hoc est, de dominis sibi
invicem contrariis, qui diversis studiis dis-
sident. Quod si enim plurimi iisdem stu-
diis tenentur, non repugnat quo minus iis
dem fervire possimus. Concordia enim
multos facit unum, ut Veteres dixerunt. Sed
Dominis inter se dissidentibus, vel fidelis-
simus fervor non ad palatum inservire
poterit, ut exemplum Josephi respectu he-
ri & heræ probat, Gen. 39. v. 7.

*Hic velim probes te, mi Christiane! annon
cultum tuum inter Deum & mundum par-
titus fueris, ut Deo & mundo simul servire
volueris?*

Hoc quilibet facile deprehendet, si mo-
do accurate se examinet. Etsi enim omnes
scimus, quid bonum sit, & quid Dominus
requirat à nobis, Mich. 6. v. 8. tamen in
ea persuasionem sumus, quod non adeo stri-
cte mandatis Dei teneamur; sed Christia-
næ libertati non adversari, si in levioribus
mundo adsimilemur, modo in graviori-
bus conscientiam nostram non læserimus,
& s. ult.

Hoc ipso Regum mortalium sapientis-
simus Salomo infatuatus est. Principio
enim non in animo habebat à Deo suo de-
sciscere: sed censebat, voluptatem illam,
quam in terrenis vanitatibus quæreret, fa-
cile cum vera pietate consistere posse: sed
scriptura meminit, quod fecerit, quod non
placuerit coram Domino, 1. Reg. 11. v. 6.

Non

Non enim conventio Christi ad Belial, 2. Cor. 6. v. 14.

Herodes & Pilatus quidem amici facti sunt, qui tamen antea inimici erant ad invicem, Luc. 23. v. 12. Sed inter Deum & peccata nulla pax conciliari potest.

Non enim Deus volens iniquitatem tuas, Psal. 5. v. 5. Hinc etiam peccata dividunt inter nos & Deum nostrum, Esa. 59. v. 2. Ideoque probe cavendum est, ne quotidianas imbecillitates, à quibus nec renati immunes esse possunt, nimium extenuemus, dicentes, ut Lothus de Zoar: Nunquid non modica est, & vivit anima mea? Gen. 19. v. 20. aut cogitemus, nullum subesse periculum in levioribus, modo in graviora non incidamus. Nunquid caput canis ejus sum, quod argueres pro muliere hodie, ait Joab, 2. Sam. 3. v. 8.

Sed ô stolidè! latent nete insidiæ diaboli, qui semel retibus suis implicatum, arcte constrictum tenet ut vix extricare se possit. Nunquid potest homo fovere ignem in sino suo, ut vestimenta illius non ardeant? Prov. 6. v. 27. Certe peccata non sine peccato sunt! Dicitur quidem, parum parum nocet: sed id medice intelligendum est, de cibis homini incommoquantibus. In schola Theologica vero, parum multum nocet, nam parva peccata majoribus fores aperiunt, & venena sensim cordibus instillant, ut tandem conscientia vulnus accipiat: sicuti per continuas pluviarum guttas, etiam saxa durissima excavantur. Ideo optimum est, ut principii peccatorum obstemus, & fructum vitium ne quidem intueamur, nedum gustemus, ne inescet animam nostram, tandemque subjuget. Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum, Jac. 1. v. 15.

Quod sitaque Deo ad placitum servire velimus, ne conformemus nos huic seculo, Rom. 12. v. 2. neque adversus legem Dei, quicquam committamus, ut ut levissimum videatur, quicumque enim totam legem servaverit, offendant autem in uno, factus est omnium reus, Jac. 2. v. 10. Apoc. 3. v. 16.

II. *Ventris curam.* De hac dehortatur nos Christus, inquiens: Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæ enim omnia gentes inquirunt.

Hic non prohibetur cura officii, quæ apprime necessaria, & à Deo mandata est. Bono enim pastori de ovibus suis sollicitum esse convenit, Joh. 10. vers. 11. & pervigilare pro animabus Auditorum, Hebr. 13. v. 17.

Magistratus curam gerat oportet, pro subditorum salute, & officio suo præesse, cum sollicitudine, Rom. 12. v. 8.

Pater-familias quoque domesticorum suorum curam habere debet, 1. Tim. 5. v. 8. & in sudore vultus sui panem acquirere, Gen. 3. v. 10. ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti, Eph. 4. v. 28.

Breviter: Quilibet, cui animæ salus cura est, pro peccato suo dolere debet, Ps. 38. v. 20.

Non igitur Christus curam hanc intelligit: sed curam ventris & diffidentia quando in operibus vocationis fiduciam in Deum abjicimus, & ambigimus, utrum nobis quotidianum victum largiri velit, id eoque undique lucrum comparamus, etiam ex malo acquirentes, Sapient. 15. vers. 12. Hi enim homines nunquam satiari possunt, quamvis ad abundantiam habeant, & tempus causantur, Sir. 29. v. 6. Hinc Vates:

U u 2

S i

Si quantas rapidis flatibus incirus
 Pontus versat arenas,
 Aut quot stelliferis edita noctibus
 Cælo sidera fulgent
 Tantas fundat opes, nec retrahat manum
 Plena copia cornu:
 Humanum miseris haud ideo genus
 Cesset flere querelas.

Hoc ipso Deus ad iram provocatur. Veros enim Christianos contentos esse oportet presentibus, Heb. 13, 5. & cetera Deo commendare, ipse faciet, Psal. 7, 5.

Hic velim inspicias te, mi Christiane! & probes, annon & ipse nonnunquam cura diffidentia deliqueris?

Hac in parte sapius delinquimus. Ubi enim nostrum foret, Deo omnia commendare, & in benevola ejus voluntate acquiescere: nos curis nostris cor aggravamus, ut ante tempus sæpe canescamus, quod tamen frustra fit, & nihil nobis adjumenti confert, quia Deus omnia ordinavit & definivit in pondere, numero & mensura, Sap. 11, v. 22. Nos hic ei præscribere non possumus, aut dicere: Cur ita facis? Hiob. 9, v. 12. Nisi quo precario obtinemus, quod Ninivitas fecisse legimus, Jon. 3, v. 10. Quod & nos faciamus, in Dei providentia unice acquiescentes, qui facit, ut diligentibus Deum omnia in bonum cooperentur, Rom. 8, 28.

Qui vero sollicitudinum æstu abrepti, dies noctesque anxii sunt, quomodo liberis suis thesauros colligant, illi non modo vitam sibi acerbam faciunt, vigilia enim divitiarum tabefacit carnes, Sir. 31, vers. 1. sed, ut verum fateamur, curis suis in infernum se præcipitant, ubi sicut oves positi erunt, mors depascet eos, Psalm.

49, vers. 15. nec aquæ guttulam impetrabunt, qualinguam refrigerent, Luc. 16, v. 24.

Confide igitur Deo, & mane in loco tuo. Sir. 11, 23.

III. *Natura scholam*, in hanc introducit nos Christus, dicens: Respiciite volatilia cæli, &c. & iterum: Considerate lilia agri, quomodo crescunt.

Hic Præceptores nostri esse debent:

1. Volucres cæli, quas Deus adeo largiter alit, ut nulla inopia laborent. Ipse enim Dominus ille est, per quem nec ales esurit, ut Ecclesia canit: sed aperit manum suam implens omne animal beneplacito, Ps. 145, v. 16. Et hæc providentia ejus non modo lusciniæ & alias aves concernit, quæ homines cantu suo exhilarant, aut cibo inserviunt: sed & corvos & passeris, sicut Lucas memorat, quod Christus dixerit: Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, Luc. 12, v. 24. De passeribus loquitur Christus, Matth. 10, v. 29.

2. *Lilia campi*, quæ Deus sic vestit, ut ornatu suo Salomonem in omni gloria sua facile superent.

1. *Ratione coloris*. Quantum enim discrimen est, inter artem & naturam: tanta quoque differentia est inter gloriam Salomonis, & naturalem pulchritudinem florum, quæ à Deo ornati sunt, qui omnium artifex est, Sap. 7, v. 21.

2. *Ratione odoris*. Salomonis vestes fragrantia odoramentorum perfusæ sunt: sed lilia & alii flores à natura odorem spirant, quo sæpe totum conclave repletur. Hinc Siracides: Obaudite me divini fructus &c. c. 40, v. 17.

3. *Ratione vigoris*. Medicinæ enim inserviunt, & unguentarius conficit ex iis un-

ctio-

ctiones sanitatis, Sir. 38, 7. Hanc virtutem vestimētis, quamvis pretiosissimis attribueri non possumus, sed finis eorum est, ut nuditatem iisdem operiamus, Gen. 3, v. 21.

Hoc ipso Christus à solitudinis præpositæ curâ avocare nos vult, ut cogitemus: Si Deus abjectos corvos & passerculos adeo largiter alit, & lilia campi tam splendide exornat: quidni magis vos, qui ad imaginem ejus creati sumus, omni necessitate instruet, & curabit. Ipse enim solus est, qui dat nobis frumentum, & vinum, & oleum, & argentum & aurum, Ol. 2, v. 8.

Hic examines te, mi Christiane! an hâc in scholâ rectè te exercueris, & occasione avium & florum providentiæ Dei recordatus fueris?

Antonius Eremita interrogatus, ubi libros suos haberet, respondit: *Codex meus est tota verum natura.* Neque aberravit. Post Bibliorum enim codicem, non præstantior inveniri potest, quàm liber naturæ, qui quatuor quasi tomos continet.

In primo tomo tractatur doctrina de cælis, conscripta literis fulgentibus stellarum, quæ omnes Deum esse probant. Cæli enim enarrant gloriam Dei, Ps. 19, 4.

In secundo exhibentur nobis vegetabilia, plantæ, arbores, flores, herbæ &c. quæ vario colore, odore & virtute distincta sunt, & iterum Deum creatorem suum testantur, ipse enim rigat montes de superioribus suis, Psal. 104, 13. & seqq.

In tertio & quarto tomo vivum exemplar habemus omnium animalium in terrâ, avicularum in aëre, & piscium in mari, qui omnes de creatore suo testantur, nosq; non modò ad eundem manuducunt, sed & in pluribus rebus informant, sicut hîc Servator volucres cæli & lilia campi nobis

proponit, ut ab iis fiduciam in providentiâ divinâ discere debeamus.

Hæc doctrina pernecessaria est, sine quâ Christianismus noster consistere nequit. Qui enim seipsum procuraturus est, creatoris sui obliviscitur, Prov. 12, 1. nec credit Deum animo paterno in se affectû esse, Ps. 103, v. 13. Obliviscitur precationis, & quamvis oret, tamen sine fide, & ita frustra orat, Jac. 1, v. 6.

Obliviscitur quoq; sacre synaxe os, terrenæ enim modò sapit, Phil. 3, v. 19. ideoq; oleum & opera in iis perditur. Nam qui volunt divites fieri, incidunt &c. 1. Tim. 6, 9.

Christus Servator noster, hic à minore ad majus argumentatur, dicturus quasi: Si pater cœlestis pascit volucres cœli, & vestit lilia campi, sine curâ & labore eorum: quidni magis vos pasceret? quidni magis vos vestiret? O modicæ fidei! Nonne vos magis pluris estis illis?

Verè magis pluris sumus illis! Volucres enim cœli & lilia campi Deus per nudum fiat creavit: Hominem verò creaturus, prius deliberationem instituit.

Præterea volucres cœli & lilia campi non ad imaginem Dei, nec ad vitam æternâ condita sunt, ut homines, Sap. 2, 23. Gen. 1, 26.

Quinimò, quod palmarium est, Deus hominibus filium suum misit, qui magno nos emit, 1. Cor. 6, v. 19. quod volucris cœli & liliis campi non contigit, nec necesse fuit.

Quotiescunque igitur avem aut florem conspicimus, reminiscamur horum Christi verborum, ut ab iisdem fiduciam in Deum discamus, ne nobis ruborem incutiant ratione diffidentia nostræ. Scimus enim, Deum creatorem & patrem nostrum esse, qui nos creavit, ideoq; & cor-

pus & vitam conservare velle: canamus ergo cum Ecclesiâ:

*Cur tradis
Cor meum
De
in Deum
Qui unigena
Nec quit
Quis reges
His sunt
Mi Patres
Qui opes*

Corculum meum quid angeris,
Dolebis & torqueberis
De temporalibus?
Confide tu Deo tuo,
Qui cuncta servat verbulo
Te nescit ille linquere
Non infcius penuriæ,
Terræ, poli dives:
Meus parens, meus Deus.
Me sublevans defectibus.

*Herz! sag in mich
Schmerzh
26.*

Warum betrübstu dich mein
Bekümmerst dich und trägest Schmerz
Nur um das zeitlich Gut!
Vertrau du deinem Herren Gott!
Der alle Ding erschaffen hat.
Er kan und wil dich lassen nicht!
Er weiß gar wol was dir gebricht!
Himmel und Erd ist sein!
Mein Vatter/und mein Herre Gott!
Der mir beysteht in aller Noth.

De Secundo.

Digrediemur nunc ad alteram partem *χρησιμωσιαι, sive notitiam Christi* contemplaturi. Hic nobis considerandus proponitur:

1. Tanquam Mammonis detestator, id eo dicit: Non potestis Deo servire & Mammonæ.

Mammon, ut Hieronymus exponit, est Deus divitiarum, qui apud Gentiles Pluto appellatus fuit, quem omnes terræ thesauros in tutelâ suâ habere, opinati sunt.

Qui igitur Mammonæ servit, & ita temporalibus cor apponit, ut obrizo dicat, fiducia mea, Job. 31. v. 24. Is Christi minister esse nequit. Radix enim omnium malorum est avaritia, 1. Tim. 6. v. 10. Ejusmodi ho-

mines plures faciunt aurum quam Deum, *χρησιμωσιαι* quam *χρησιμωσιαι*, inde etiam avari idolorum servi, Eph. 5, 5. & avaritia simulacrorum servitus dicitur, Col. 3. v. 5. quod contra primum præceptum est.

2. Sæpè pecuniâ incitantur, ut perjurio se obstringant, aut veritatem Evangelicam abnegent, quod contra secundum Præceptum est.

3. Avari quoq; cultum divinum non magis operè curant. Quia enim terrenis modò inhiant, idèò verbum & sacramenta contemnant, congregacionem sanctorum relinquunt. Quando, inquit, transibit mensis, & venundabimus frumenta, Amos. 8, 5. 6. Imò licet in æde Dei appareant, tamen semper lucro & Mammonæ cor appositum habent. Sic à sollicitudinibus, & divitiis & voluptatibus vitæ euntes, à spinis his suffocantur & non referunt fructum. Et hoc tertio præcepto contrarium est.

Avari in parentum pietatem peccant. Sæpè enim iisdem mortem imprecantur, quò argento corundem fruantur, ut experientia probat. Quinimò inveniuntur, qui non tantum Mammonæ detrahère audent, ut Parentes honestâ sepulturâ terræ commendent. Quod quarto præcepto repugnat.

5. Sic etiam *φιλαργυρια* plerumq; secum trahit animum sanguinarium, ut homo avarus proximi vitæ insidietur, quo bonis ejusdem fruatur, sicut Jesebel Nabothum è medio sustulit, quo vineâ ejus fruereetur, 1. Reg. 21, 8. seqq. Sic semitæ omnis avari, animas sociorum suorum rapiunt, Prov. 1, 19. Hoc quinto præcepto adversatur.

6. Propter pecuniam sæpè quis opulentam ducit uxorem, & hæc opulentum maritum, ubi pecunia dilapidata est, & amor exspirat,

spirat, ibi rixa & irreverentia & contemptus est, Sir. 25, 39. Nonnulli parètes propter lucrum filias prostibula faciunt, quod expressè prohibuit Deus, Lev. 19, 29.

7. Avarus quoque fur est, qui sacrilegia quoq; parvi aestimat. Ut rectè dixerit Poëta:
Auri sacra fames, quid non mortalia
cogis

Pectora.

8. Avarum mendaciorum non pudet, modò lucrum iisdem sibi acquirere possit, exemplo est Ziba, 2 Sam. 16, 1. seqq.

Summa: Propter pecuniam multi deliquerunt, & qui querit locupletari, avertit oculum suum, Sir. 27, 1.

Quomodo igitur Christus Mammonæ servum favore complecteretur? Potius illud Augustini locum habet: *Qui pecuniam appetit fidem perdit, qui aurum redigit, gratiam prodigit, lucrum in arsã, damnnum in conscientia.* 1. Tim. 2, 19. Hab. 2, 6. 1. Cor. 6, 9.

II. *Tanquam justa proportionis collator.* Ideò dicit: Quis vestrum cogitans, potest adicere ad staturam suam cubitum unum?

In historiis præcellentes artifices inveniuntur, qui variis inventionibus commendantur. Nota sunt Zeuxis, Apellis, Architaë aliorumq; inventa. Sed ubi reperiri poterit, qui ad staturam hominis non dicam cubitum, sed digitorum saltem addere queat. Hoc solius Dei opus est, qui pusillum & magnum fecit, & æqualiter cura est illi, de omnibus, Sap. 6, v. 8.

Proinde quilibet staturâ suâ contentus esse debet, quæ Deo ita placuit. Væ, qui contradicit fictori suo, Esa. 45, 9.

Quamvis igitur magnitudini tuæ alios non adæques; tamen tam magnus es, qualem Deus te creavit. Non uni dat cuncta Deus, sed distribuit bona sua prout vult, 1. Cor. 12, 11.

Hunc corporis robore Deus instruit, velut Samsonem, Jud. 14, v. 5, 6. Alii corpus imbecille largitur, sed ingenium excellens, & egregias animi dotes, ut Paulo, 2. Cor. 10, v. 10.

Filii Enac gigantes fuerunt, quibus alii comparati quasi locustæ videbantur, Num. 13, v. ult. Contrà Zachæus pusillus staturâ fuit, ut Christum visurus, in arborem Sycomorum adscenderit, Luc. 19, v. 3, 4.

Quod si igitur Deus tibi proceritatem & robur Giganteum non concessit, sed in corpore tuo pusillo, animam sapientiâ & fide præstantem, omnis res salva est. Non enim personarum acceptor est Deus, Act. 10, 34.

Cum Propheta Samuel à Deo iussus esset, quendam ex filiis Isai in Regem ungeret, & Eliab primogenitus ingrederetur, qui Samueli dignus videbatur, dixit Dominus ad eum: Ne respicias aspectum ejus, neq; altitudinem staturæ ejus. Cum verò David adduceretur, qui minimus natu & staturâ erat, ait Dominus: Surge & unge eum, 1. Sam. 16, v. 6, 12.

Hinc perspicimus, quod Deus non magnos, sed pios intueatur. Impii verò improbantur ei, licet staturâ suâ cælum attingerent. Non enim in fortitudine equi voluptatem habet, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei, Psal. 147, v. 10.

Fluit hinc

1. *Dehortatio*, ut quilibet staturâ suâ, quâ à Deo instructus est, contentus sit, nec aliam affectet, ne creatorem suum ad iram provocet.

2. *Consolatio*. Virtus enim non quantitate, sed qualitate aestimatur. Ingens ille Goliath, à parvo Davide prostratus est, 1. Sam. 17, 4, seqq. Sic:

A cane non magno sæpè tenetur aper.

Hinc

Hinc Siracides: Non laudes virum in specie suâ, Sir. 11. v. 1.

III. *Tanquam pietatis ante omnia sectanda commendator.* Ideo Servator in fine Evangelii: Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, &c.

Per regnum Dei hinc non intelligitur *regnum potentia*, de quo Psal. 103. v. 19. Psal. 135. v. 6. sed *1. Regnum gratia*, quod in ecclesiâ sceptro verbi & sacramentorum gubernat, Psal. 45. v. 7. Regni hujus consortes sunt omnes veri Christiani, qui propterea genus electum, Regale sacerdotium, gens sancta vocantur, 1. Petr. 2. v. 9.

Hoc regnum, sicut non venit cum observatione, h. e. externâ pompâ, Luc. 17. 20. sic etiam non est esca & potus, sed justitia, & pax & gaudium in Spiritu S. Rom. 14. 18.

2. *Regnum gloria*, de quo Sap. 5. v. 16. 17. Eo igitur omni studio contendere debemus, ut simus cives sanctorum & domestici Dei, Eph. 2. 19. Sic tandem hereditario accipiemus paratum nobis regnum à constitutione mundi, Matth. 25. 34. & coronam vitæ reportabimus, Apoc. 2. v. 10.

Hic magno studio & contentione opus est, ideò dicit Christus *in tei*, & quidem

ante omnia, hoc enim unicum est necessarium, Luc. 10. v. ult.

Contrarium à multis subinde fit, Mich. 2. v. 1. Ideò Servator ait: Læta porta, & spaciola via est, quæ ducit ad perditionem, Matth. 7. v. 13.

Nos proinde contendamus intrare per angustam portam, Luc. 13. v. 24. cum metu & tremore salutem operemur, Phil. 2. v. 12. & præbeamus corda nostra, & animas nostras, ut quæramus Dominum Deum nostrum, 1. Chron. 23. v. 19. sic inveniemus eum, Deut. 4. v. 29. Et cum eo omnia, quibus quoad animam & corpus indigemus. *Cum Dei enim sint omnia*, ubique Deum habens, simul habet omnia, ait Cyprianus. Et Assaph: Quid enim mihi est in cælo? &c. Psal. 73. v. 25.

Verè *petra cordis nostri* in omnibus adversitatibus. Nisi lex tua gaudium meum, Psal. 119. v. 50. 92. Verè quoque *pars nostra*, primò *in vitâ*, est enim protector vitæ nostræ, Psal. 27. 1. Deinde *in morte*. Sive n. vivimus sive morimur, Domini sumus, Rom. 14. 8. & tandè portio nostra *in terrâ viventium*, in æternû, Psal. 142. 6. Largiatur id nobis Christus Jesus, benedictus in secula, Amen!

Dominica XVI. post Trinitatis.

Evangelium Luc. 7. v. 11. --- 17.

EXORDIUM.

DE Abrahamo refertur, quod ab Ephron Hethæo emerit *speluncam duplicem*, quam habuit in extremâ parte agri sui, in possessionem sepulchri, quo Saram defunctam conderet, quadringentis siclis argenti, cum

tamen aliàs non haberet hereditatem in terrâ istâ, nec vestigium pedis, Gen. 23. v. 16. Act. 7. v. 5.

Hoc *mysticè* intelligendum est. Abraham non ignarus erat, se *hominem esse mortalem*, ideò emit hunc agrum, non modò